

test adæquare, vel proportionari, vel esse ejusdem ordinis cum illa intelligibilitate, quæ suum esse, et actus purus. Unde non sufficit ad similitudinem repræsentativam, quod solum respiciat divinam essentiam per modum tendentiæ ad rem specificatam, sed per modum continentia ejusdem esse intelligibilis, quod invenitur in objecto, quatenus ipsa species est similitudo objecti, et vires ejus gerens, et si est similitudo, et sicut ipsum objectum, seu alterum objectum non entitative, sed intelligibiliter, sicut semen est virtualiter totum vivens, et hoc est continere objectum, id est, esse ipsum objectum in esse intelligibili; et ita si in objecto esse intelligibile est ipsa ejus substantia, et ipsum suum esse, quia est actus purus etiam in esse intelligibili, non potest reperiri specie creata, nisi in infinitum distando a tali intelligibilitate, quia solum potest habere intelligibilitatem, quæ non sit suum esse, utpote creatam.

EXPENDITUR ULTIMA RATIO D. THOMÆ.

XXVI. Quæ formatur sic. Divina essentia est aliquid incircumscriptum, continens eminenter quiddam ab intellectu creato intelligi potest, sed hoc per nullam speciem creatam, repræsentari potest, quia omnis species creata est determinata secundum aliquam rationem creatam v. g. sapientiæ vel virtutis, vel alicujus hujusmodi, ergo dicere, quod Deus videtur per aliquam similitudinem est dicere divinam essentiam non videri, sed aliquid determinatum in genere entis.

XXVII. Hæc ratio habet vim ex eadem radice, qua præcedentes, et solum magis explicat aliquam conditionem entis creati, et increati, sicut enim præcedens ratio processit

ex ipso esse entis increati, quod est a se, et actus purus, ita hæc ratio procedit ex ipsa quidditate Dei, quæ est incircumscripta et continet omnes perfectiones, neque est in aliquo genere, vel specie. Quidquid autem creatum est debet esse in aliquo genere, vel specie. Cum ergo ens increatum, et res creata in hac conditione proportionari, et adæquare non possint, sed semper divina essentia superexcedat, sicut res posita extra omne genus, et nullis terminis generis, vel speciei circumscripta, omne autem quod creatum est aliquo termino generis, vel speciei constringitur, et limitatur, ergo nunquam potest correspondere secundum proportionem, et adæquationem repræsentato, quia est proportio finiti ad infinitum.

XXVIII. Unde solutio, quæ adhiberi potest huic argumento, sicut præcedentibus ex dictis manet exclusa, videlicet quod species creata si daretur esset infinita, et incircumscripta objective, et determinative non formaliter. Contra hoc enim est, quia si formaliter est finita in ipso esse intentionali, et repræsentativa, impossibile est, quod possit continere, et adæquare infinitum objectum, quod est extra omne genus, eo quod ista continentia, et repræsentatio sit per assimilationem, et convenientiam cum objecto in esse intelligibili, non autem per modum respectus, et ordinis virtutis elevantis, et tendentis ad objectum infinitum, sicut est lumen gloriæ, nunquam autem potest habere proportionem repræsentatio finita, et ad certum genus restricta cum objecto finito in se, sed semper manet illa repræsentatio minor, et inferioris ordinis et intelligibilitatis creatæ, si quidem esse repræsentativum, quod est esse intelligibile in illa creatum est. Constat autem quod repræsentatio inferioris ordi-

nis postulat etiam pro immediato repræsentato, cui respondeat, et adæquatur aliquid finitum, et ejusdem ordinis cum ipso, per speciem autem ordinis inferioris, et repræsentantem rem inferioris ordinis, manifestum est non posse repræsentari rem alterius ordinis superioris, ut sæpe ostensum est.

XXIX. Præter istas rationes D. Thomæ aliqui magnificent rationem, qua movetur p. Arrubal hic disp. XVI, cap. v, ad probandum non esse possibilem speciem impressam Dei. Movetur autem Arrubal ex secunda ratione D. Thomæ allata, quia puri actus non potest dari species impressa, Deus autem est actus purus. Explicatio autem hujus rationis D. Thomæ non concordat cum nostra. Explicat enim Arrubal vim hujus rationis per hoc, quia nullum objectum, quod per suam essentiam est immediate præsens, et unitum potentia potest repræsentari per aliquam similitudinem impressam, eo quod species essentialiter, et intrinsece ordinatur ad hoc, ut objectum reddatur proxime intelligibile, et possit determinare potentiam reddendo illi objectum unitum, et præsens, ut hoc modo moveatur potentia ab objecto, et non solum terminetur ad illud, ergo ubi hoc minus est impossibile, quod fiat per speciem eo quod objectum se ipso est proxime intelligibile, et unitum ac præsens potentia, etiam impossibile est species, quia ubi effectus est impossibilis etiam et causa.

XXX. Cæterum hæc ratio apud nos non convincit, quia licet actus purus sit præsens omni intellectui per immensitatem, non tamen redditur præsens intelligibiliter, nisi intellectui elevato per lumen gloriæ, et tunc necessaria est nova unio, seu actuatio intellectus a divina essentia in genere intelligibili, ut intellectus habeat sibi unitam,

et præsentem divinam substantiam, ut comprincipiantem cum illo visionem. Hæc autem applicatio, et unio cum fiat libere a Deo etiam post elevatum intellectum lumine gloriæ, non apparet cur non possit a Deo suspendi, et impediri: et tunc poterit species impressa (si alias non repugnat ex alio capite) exercere munus suum reddendi objectum præsens, et unitum potentia in esse intelligibili. Unde enervatur tota implicatio allata, quia illud munus speciei intelligibilis non probatur impossibile ab intrinseco ex vi ipsius repræsentationis speciei, sed ab extrinseco ex applicatione alterius causæ, illud per se ipsum præstantis: quare si non affertur implicatio propter quam repugnat applicationem, et unionem illius causæ impediri, et suspendi, non probatur esse impossibile simpliciter illud munus speciei impressæ. Hanc autem applicationem, et unionem divinæ essentia non posse impediri, aut suspendi non ostenditur per illam rationem P. Arrubal, et sic bene stat quod essentia divina sit per se summe intelligibilis, possitque hoc munus præstare intellectui, si velit, non tamen probatur, quod necessario præstet, ita ut non possit de facto non se applicare, et dare locum speciei. Sicut etiam in Angelo si impediretur ejus substantia actuare intellectum proprium in ratione speciei, posset per speciem accidentalem repræsentativam sui actuari.

ARTICULUS IV.

Expediuntur difficultates contra prædicta, disquiritur quomodo uniatur essentia divina intellectui.

I. Ex triplici solum capite possunt argumenta fieri contra sententiam

præcedenti articulo assertam. Primo, et principaliter ostendendo non implicare speciem impressam creatam Dei solvendo rationes, quæ implicationem probare conantur, de quo in præsentī vix restat aliquid dicendum, quia rationes ipsas implicationis afferendo, responsiones ad illas impugnatae sunt. Solum in præsentī addo ex p. Suarez, lib. II de attribut. negativ. c. XIII, ad probandum, quod illa implicatio deducta ex ratione similitudinis, ut repræsentativæ non teneat, quia ad hoc ut species sit propria, et quidditativa alicujus objecti non requiritur, quod sit illi adæquata, et comprehendat ipsum objectum, sed sufficit, quod adæquatur ipsi intellectui, cui talis species datur, vel actui, seu cognitioni, ad quam ordinatur: ergo totum fundamentum, quod in adæquatione speciei cum objecto innititur non subsistit. Antecedens probat in specie data Angelo inferiori ad cognoscendum Angelum superiorem, hæc enim non adæquatur superiori Angelo, sed proportionatur virtuti Angeli inferioris, si quidem infunditur illa species juxta modum ipsius recipientis. Quod patet ex duobus. Primo, quia per talem speciem non potest Angelus inferior comprehendere superiorem, licet quidditative, et intuitive illum videat, alioquin ita perfecte cognosceret Angelus inferior superiorem sicut ipse superior se ipsum, scilicet comprehensive. Imo etiamsi species illa data Angelo inferiori poneretur in Angelo superiori, non posset Angelus superior comprehendere se ipsum per illam, quia solum commensurata est virtuti intellectus inferioris. Secundum est, quia constat de una, et eadem re non infundi omnibus Angelis species æquales, sed superioribus infunduntur species universaliores, et perfectiores, quam inferioribus, ut de-

terminat S. Thomas infra quæstione LV, art. V, ergo de eodem Angelo, v. g. de ordine Cherubimorum perfectiorem speciem habebit unus de Seraphim, quam unus Archangelus, vel Angelus, et tamen species data Archangelo quidditative repræsentat Cherubim, etsi non comprehensive. Ergo non est necesse, quod species adæquetur in repræsentatione ipsi objecto ad repræsentandum quidditative, sed sufficit, quod commensuretur virtuti intellectus, cui datur; ergo similiter non requiritur amplius in specie creata repræsentativa Dei.

II. Ad hoc argumentum jam supra satisfactum est, obiter tangendo istam replicam. Et in summa dicimus, repræsentationem speciei directe, et per se postulare, quod sit ejusdem ordinis cum immaterialitate objecti, quando illud quidditative repræsentat, et immediate in se posse tamen inadæquari ipsi objecto quantum ad perfectionem, et modum repræsentandi, quia in hoc datur latitudo, quando intelligibilitas objecti id compatitur, quia videlicet non consistit in indivisibili repræsentatio illius intelligibilitatis, sed potest diversis viis attingi, etiam quidditative, et in se, eo quod illa intelligibilitas non est actus purus, sed finita, et limitata, et sic potest ad illam perveniri secundum aliquid potentialitatis, et majorem, vel minorem perfectionem intra latitudinem ejusdem ordinis, eo quod immaterialitas creata est capax magis, vel minus, imo potest per eminentiorem modum intelligi aliquid inferius, sicut per speciem universalioris Angeli superioris intelligitur superiori modo Angelus inferior. Cæterum in intelligibilitate increata, quæ est actus purus hoc non currit, quia si intelligibilitas speciei est limitata, et creata hoc ipso est inferior suo objecto non solum

accidentaliter intra latitudinem ejusdem ordinis, sed tamquam aliquid ordinis inferioris, et sic debet ei correspondere pro immediato objecto repræsentato aliquid creatum, et ordinis inferioris, multoque magis distat a repræsentatione Dei in se, quam similitudo corporea a repræsentatione rei spiritualis, quæ etiam est inferioris ordinis ad ipsam. Si autem illa intelligibilitas est increata, et actus puri, hoc ipso species creata esse non potest, nec repræsentare Deum finito modo, sed infinito. Et ita ibi non est invenire latitudinem secundum magis, vel minus in repræsentando, eo quod actus purus est summus, et infinitus, et sic latitudinem non patitur. Unde respectu Dei non est dare medium in specie repræsentativa, quia vel debet esse ejusdem ordinis cum ipsa intelligibilitate Dei, et sic non solum quidditative, sed etiam comprehensive ipsum repræsentare, et continere, vel debet esse inferioris ordinis, scilicet intelligibilitatis creatæ, et sic neque quidditative ipsum repræsentabit, et ut est in se propter imperportionem et distantiam infinitam.

III. Secundum argumentum potest deduci in hac materia a simili. Et potest ex triplici parte deduci similitudo. Tum ex parte speciei expressæ, tum ex parte ipsius visionis, tum ex parte ipsius luminis gloriæ. Ex parte speciei expressæ, quia non repugnat saltem de potentia absoluta eam dari respectu Dei clare visi, ergo neque repugnabit dari speciem impressam. Consequentia videtur certa, quia species expressa non minus est repræsentativa objecti, quam impressa, imo magis, quia actualius, et expressius repræsentat, quam impressa, utpote in actu secundo, et ut terminus expressus. Repræsentat autem Deum immediate in se, non in aliquo

effectu, quia sic cognoscitur Deus a beatis. Antecedens autem admittitur a pluribus Thomistis, et fundatur in eo, quia species expressa est terminus actus intelligendi; non potest autem intelligi actio aliqua, quæ sit vera, et propria actio sine termino, ergo neque actio intelligendi sine specie expressa, quia solum hæc potest esse terminus illius actionis. Aut si visio non est actio, sed qualitas, ipsamet erit species expressa, quia est qualitas assimilativa, et repræsentativa. Ex parte visionis deducitur argumentum, quia non repugnat dari visionem Dei finito modo, ergo neque repugnabit dari repræsentationem Dei finito modo. Antecedens fæst certum, et consequentia probatur, quia species impressa non habet similitudinem cum objecto in natura, sed in repræsentatione, quæ attenditur secundum quamdam proportionem, seu tendentiam speciei ad objectum, unde etiam vocatur similitudo intentionalis, quia per modum intendendi, seu tendendi ad objectum dicitur illi assimilari, et proportionari, ergo non magis repugnat ista similitudo intentionalis dari finito modo, quam illa, quæ est in proportionem, et tendentiam visionis. Quod si dicatur requiri speciem, ut reddat objectum intelligibile in actu, quod respectu Dei esse non potest, quia Deus non potest intelligibilitatem habere ab aliquo creato, contra est, quia species intelligibilis non reddit objectum intelligibile in se ipso apponendo illi intelligibilitatem, sed in intellectu cui inhæret, reddendo ipsum proportionatum, et determinatum erga tale intelligibile, ergo hoc non repugnabit fieri per aliquam speciem creatam, quia intellectus, cui species inhæret, non habet illam intelligibilitatem, sed participat, ergo non repugnabit, quod eam participet ab objecto per ali-

quid creatum, quod non reddat ipsum objectum intelligibile in se, sed intelligibilitatem ejus communicatam intellectui.

IV. Denique, ex parte luminis gloriæ deducitur argumentum, quia quidquid potest facere species intelligibilis, facit lumen gloriæ, ergo non minus est possibilis quam ipsum lumen. Antecedens probatur, nam lumen gloriæ determinat intellectum ad cognoscendum Deum in se, ita quod per illud lumen non habilitatur intellectus, nec determinatur ad aliud objectum, ergo non minus est efficax, quam species impressa in ordine ad determinandum eodem genere determinationis, quo species, neque enim apparet quid amplius determinet species post istam determinationem luminis. Similiter hoc lumen facit nos similes Deo, et repræsentat ipsum Deum, si quidem ad repræsentandum sufficit reddere objectum præsens potentiæ, redditur autem præsens per ipsum lumen, quia fecit ipsum intuitive videri, et apparere, quod autem redditur apparens potentiæ intuitive, redditur præsens intelligibiliter, et cognoscitive, ergo redditur repræsentatum, facit ergo lumen quidquid facere potest species.

V. Ad primam partem argumenti dicemus articulo sequenti, ubi ostendemus non dari speciem expressam creatam in visione beatifica. Qui autem admittunt speciem expressam, et negant impressam, differentiam inter utramque constituunt in hoc, quod species expressa non immediate proportionatur objecto, ut est in se, sed ut cognito, et applicato ipsi intellectui, cum autem finito modo essentia divina sit cognita, et tacta ab intellectu beati, non ita repugnat formari repræsentationem de intelligibilitate divina, ut vestitur illo finito modo

applicationis, et attingentiæ visionis beatæ, sic enim videtur attingere ipsam intelligibilitatem objecti, ut in aliquo finito sibi conjuncto. At vero species impressa antecedit ipsam visionem, quia est principium ejus non terminus, sicut verbum. Unde non respicit intelligibilitatem divinam ut vestitur aliquo modo finito, et limitatæ applicationis, sed ut est immediate in se. Unde non habet a quo limitetur intelligibilitas ejus, sed communis esse debet cum intelligibilitate objecti, ut est in se.

VI. Ad secundam partem argumenti respondetur quod visio est actus elicited ab intellectu, ad quem non pertinet esse vicarium objecti, et continere repræsentative ipsum in esse intelligibili, sed solum respicere ipsum per modum tendentiæ, quatenus intellectus actuatus intelligibiliter ab objecto, vitaliter se explicat in illud. Repræsentatio autem objecti, quæ invenitur in specie antecedit istum actum visionis, quia est principium determinans, et actuans ad elicentiam talis visionis. Unde non pertinet ad ipsam habere similitudinem cum objecto, solum per modum tendentiæ et attingentiæ ad ipsum, sed tamquam vices gerens objecti, et consequenter, ut existens ipsummet objectum in esse intelligibili. Et vocatur hæc similitudo intentionalis, non quia se habeat per modum intentionis, et tendentiæ ad objectum in esse entitativo, sed in esse repræsentativo, quod intentionale dicitur, quia sub eo res intenduntur, seu apprehenduntur, etiamsi in se non existant. Non requiritur autem species ut constituat in Deo intelligibilitatem, quam ipse non habeat, sed ut communicet intellectui eandem, quam habet, et utrumque æque repugnat speciei creatæ, cujus intelligibilitas formaliter creata est. Unde non obstat

dicere quando sunt res inferioris ordinis, ut corpus respectu spiritus si repugnat species repræsentans etiam repugnat visio, sicut patet quod sensus corporeus non potest habere visionem rei spiritualis, ergo e contra ubi non repugnat visio, neque repugnabit species, ut in nostro intellectu respectu Dei. Respondetur enim negando, cum ubicumque repugnat species repugnat visio, quia visio repugnat ex incapacitate potentiæ, quando objectum neque specificative et connaturaliter, neque terminative pertinet ad talem potentiam, sicut res spiritualis respectu potentiæ sensitivæ, species autem repugnat, non solum propter incapacitatem potentiæ ad intelligendum, et elicendum visionem circa tale objectum, sed ex improprietate talis entitatis ad repræsentandum, et continendum objectum in suo proprio esse intelligibili, licet potentia ut unita objecto possit visionem illius elicere.

VII. Ad tertiam partem argumenti respondetur quod lumen gloriæ non determinat intellectum omni determinatione, quæ necessaria est ad elicendam visionem, quia solum determinat per modum virtutis operativæ ex parte intellectus, qui de se est virtus inferior ad talem visionem, non vero determinat ex parte objecti, quod etiam concurrere debet ad visionem, eo quod ab ipso, et a potentia, seu a virtute potentiæ, debet procedere notitia, et visio, et etiam species expressa si datur. Nec sufficit quod objectum concurrat in quantum ad illum, ut extra intellectum terminatur visio, sed requiritur quod concurrat ut intra intellectum positum. Nam concursus objecti extra positi etiam in voluntate invenitur, quæ ad objectum terminatur; alio autem modo in mente paritur notitia ab objecto, scilicet ut trahitur ad intra, et ut

est intra potentiam. Item non est determinatum lumen ad attingendum tali vel tali modo objectum, et in vi illius tales, vel tales creaturas, quæ sunt objecta secundaria visionis beatæ, eo quod stante eodem numero lumine, seu æquali, potest unus beatus ex diversa applicatione speciei seu essentiæ divinæ videre aliquas creaturas, quæ ad se pertinent, et alius alias, et non illas. Ergo lumen non est determinatum ultima determinatione, id est, determinatione ex parte objecti, ita ut specie, seu objecti motione, aut concursu, et determinatione non egeat. Ad id vero quod dicitur hoc lumen facere nos similes Deo, et repræsentare objecta, respondetur quod facit nos similes secundum virtutem operativam, et elicitivam visionis, non secundum repræsentationem ex parte objecti, cujus concursus determinare debet potentiam, et virtutem, ut eliciatur determinata visio, et attingentia objecti. Lumen autem non facit videre intuitive, nec reddit objectum præsens intuitive sine tali concursu objectivo, et specie præsupposita, ideoque per se solum repræsentativum non est.

QUOMODO FIAT UNIO DIVINÆ ESSENTIÆ CUM INTELLECTU?

VIII. Tertio, potest deduci argumentum ex impossibilitate actuationalis, et informationis divinæ essentiæ respectu intellectus in ratione speciei, seu in esse intelligibili. Nam vel ista unio divinæ essentiæ est solum assistentia ipsius intime ad concurrendum cum intellectu ad visionem, vel est aliqua unio informativa. Primum, non sufficit ut Thomistæ communiter docent, et ratio persuadet, quoniam visio cum pariat vitaliter, non potest exire

nisi tantum a potentia, objectum autem, ut assistens non parit vitaliter, quia non se tenet ex parte animæ, et potentiæ, quia vitalitatem solum præstat, ergo oportet quod prius potentia actuetur ab objecto a quo dependet notitia quam pariat ab ipsa visio, sicut ut proles nascatur, et pariat ab animali, debet fœcundari femina a masculo, et sic a sola femina vitaliter nasci, non vero simul nasci a femina, et a masculo. Si autem requiritur unio objecti, et actuatio informativa divinæ essentiæ, in primis non potest informare per modum inhærentis, vel entitative componentis, et informantis, quia hoc genus causæ intrinsecam involvit repugnantiam in Deo. Nec obstat quod sit forma in esse intelligibili, qui per hoc non extrahitur a linea, et ordine causæ formalis vere informantis, ergo neque ab intrinseca ejus imperfectione. Si autem dicatur Deum informare per modum formæ terminantis, contra est, quia divina essentia non informat per modum subsistentiæ vel existentiæ ipsum intellectum, sed per modum objecti determinantis, et intelligibiliter actuantis, ergo non informat ut terminus, sed si informat, vera forma est, licet in esse intelligibili.

IX. Deinde, difficillime explicatur quis sit effectus formalis hujus formæ increatæ in intellectu beati, quod compositum resultet ex illis extremis sic unitis, quis modus, vel immutatio sequatur in intellectu ex eo quod illi uniatur ista forma? Nam ille effectus formalis quem ponit illa forma sic unita in intellectu vel est creatus, vel increatus. Si creatus, non est formaliter a Deo, sed effective, quia res creata est. Si increatus, non potest recipi in intellectu, neque causari a Deo, quia increatum esse in nullo genere causæ etiam formali causari potest. Non

etiam resultat compositum, quia nec compositum substantiale, ut de se patet, nec accidentale, quia cum tale compositum resultet ex forma divina debet habere esse divinum, quod accidentale non est, præterquam quod essentia divina non potest in compositionem cum aliquo venire, quia esset inferiorius illo, utpote pars, et extremum talis compositi resultantis quod se habet ut totum. Non etiam immutatur intellectus ex tali unione, quia præter lumen gloriæ non habet intellectus aliam mutationem, quia non aliam elevationem, nec potest explicari quænam sit. Ac denique si ista informatio intelligibilis non fit per inhærentiam, nec per substantialem informationem, non apparet cur non possit unus Angelus informare intellectum alterius, ad hoc enim non est necessaria infinitas, cum finito modo fiat, nec obstat substantialitas, quia modo entitativo non fit.

X. Hæc faciunt contra unionem, et informationem divinæ essentiæ in esse intelligibili. Sed ea data, restat non minus difficultas quomodo essentia divina unita concurrat ad visionem, nam vel concurrat effective influendo simul cum potentia, vel non. Si non influit, non facit id quod aliæ species, quæ hoc ipso quod informant, et determinant potentiam ut formæ intelligibiles etiam influunt in visionem, ut ab objecto, et potentia procedat, ut ostensum est; quod si id non facit divina essentia, debet per aliquid id suppleri, et hoc erit species. Si autem effective influit in ratione speciei, influit ut subordinata potentiæ vitali, si quidem species non est quæ dat vitalitatem potentiæ, sed determinationem ex parte objecti, et sic in egressione vitalis ipsius notitiæ procedit a potentia, ut a principio quod vitali, et a specie ut

a principio quo determinativo, et repræsentativo, quod est subordinari potentiæ ut principaliori. Et hoc non potest esse nisi ipsa essentia divina informet potentiam, quia non alio modo est principium quo, nisi ut forma ejus, media qua operatur, ergo informat constituendo, et determinando intellectum quod importat imperfectionem causæ formalis. Quod amplius ostenditur in substantia Angeli, quæ non apparet quomodo habeat informationem in suo intellectu cujus est subjectum, et influat duplici efficientia altera per modum speciei ut quo, altera per modum principii substantialis ut quod. Denique, D. Thomas quodl. vii, art. i, dicit quod in aliis intellectionibus concurrat effective lumen, et species objecti, in visione autem Dei non est alia virtus effectiva cum intellectu, nisi lumen, quia essentia divina quæ est objectum est totaliter intelligibilis, sicut lux; ergo contra D. Thomam, dicitur quod concurrat effective ut quo, et ut species. Ut omittam quod essentia divina nihil habet de actu primo in linea intelligibili, ut dicemus disp. xiv, art. ii, ergo non potest communicari, et informare per se ipsam tamquam species impressa, quia hæc unitur, et concurrat per modum actus primi: si ergo posset Deus formaliter intellectui uniri, solum esset per modum actus ultimi, qui est ipsum intelligere, quo tamen genere Deus non unitur.

XI. Hæc difficultas, et argumentum petit, ut explicemus quomodo essentia divina possit uniri realiter, licet in esse intelligibili, et non entitativo ipsi intellectui beati. Et admitimus non sufficere illam unionem extrinsecam seu assistentiam, tum propter rationem factam in argumento, quia extrinseca assistentia, non fœcundat potentiam, non pariat notitiam, tum quia in

ipsa egressione actuali intellectionis non potest partim exire a potentia et partim a specie, seu objecto, quia sic ille partialis exitus, et productio notitiæ prout est ex parte objecti non esset vitalis, et sic non procederet totaliter, et ex omni parte ut actus vitalis, et ille partialis concursus ex parte potentiæ non esset determinatus ad hanc specificationem bujus objecti, sed indifferens, si quidem emanaret a potentia intrinsece indifferente, assistentia enim illa intrinseca nihil intrinsecum ponit aut immutat in potentia, nec enim in illa aliquid ponit formaliter, ut admittitur, nec effective producit, quia si aliquid effective ponit, illud non ponit, formaliter immutabit, et de illo inquiretur idem quod de specie, nec enim aliud, quam species esse potest.

XII. Supposita ergo actuazione, qua species actuat potentiam, illa actuatio non potest esse sola inhærentia, qua species ut qualitas est inhæret subjecto, tum quia hæc actuatio etiam invenitur in subjecto inanimato, ut species sensibiles in aere, et in potentia actu non cognoscente, ut cum species conservantur in memoria: tum quia in specie valde immaterialiter, et per accidens se habet quod sit qualitas entitative inhærens, cum invenitur idem mysterium objective repræsentandi, et actuandi potentiam, fieri per speciem quæ non est qualitas, ut cum substantia Angeli specie superaddita videtur a se. Tum denique quia licet in informatione entitativa, et per modum qualitatis species ipsa informet, seu non objectum repræsentatum, quod in specie continetur non in esse entitativo, sed intentionali, et intelligibili: oportet autem intellectum, ut intelligat actuari non solum ab entitate speciei per inhærentiam, sed etiam ab objecto repræsentato, eo quod